

INNOMINATVS.

Ibidem alterius Memoriae miraculum
 retulit, nomen eius tacens, scilicet qui
 Poëma recens, ab ipso qui illud ediderat
 auditum, tam celeriter arripuit, ut mox
 suum esse contenderet: argumentum
 satis violentum afferens, quod ipse me-
 moriter id redderet, quod recitator pri-
 mus & verus Auctor carminis nequiret.
 Præceps quidem famæ cupiditas, sed in-
 ter raras naturæ dotes miranda vis Me-
 moriæ.

THEMISTOCLES.

AB Occasu ad Orientem verso, pri-
 mus omnium Græciæ gentis The-
 mistocles occurrit, qui inter grauissimas
 occupationes publicas priuatasque, cun-
 ctorum conciuum suorum nomina (&
 erat Athenis natus) in memoria tenebat,
 stupidum negotium, nisi L. Scipionis
 mentio præcessisset. Idem indigno exi-
 lio coactus, cum ad Xerxem Persarum
 Regem se conferre decreuisset, breui
 temporis spatio, Persicum primus idio-
 ma perdidicit, ne quid in primo collo-
 quio peregrinum, aures Regis offenderet.
 Itaque minus miror tantis naturæ præditū
 muneribus, artificiosam memoriã con-